Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XXX. An hæretici incorrigibiles sint plectendi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

2. Omnis vita mea ſpontànea teſtatur paupertatem, opis, ſtipisq; indigam alienæ. Sine domo natus vixi: prædicãdo conuerſatus apud diuerſos prandebam; alieno in iumento vilique vectus nec victum in vrbe reperiebam: in domo cœnã ſupremã aliena habui; alieno illatus demum ſepulcro quieui. Quia Pſ. 39. *Ego Mendicus ſum & pauper*. Et populus meus, Pſa. 108. *perſecutus eſt hominem inopem & mendicũ.* At verò, 2. Cor. 8. *Propter Vos egenus factus ſum, cũ eſſem diues.*

3. Sanè, cùm ad tam glorioſam me demiſerim Mendicitatem; imitatores meos degeneres mei haud eſſe conuenit; Nec eis illam à quoquam duci ignominioſam; tantum non damnoſam.

4. Sicut enim morte mea Crucis ignominiam verti in gloriam; ita paupere Vitâ meâ Mendicitatis opprobrium transtuli in fructuoſum exemplum & ad Priuilegium euexi glorioſum.

5. Hinc Apoſtolus gloriabunda cõfidentia exclamat: Mat. 19. *Ecce, Nos reliquimus omnia.* Hinc alacres acceptabãt mandatum meum, Mat. 19. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum in Zonis, nec duas tunicas.* Hinc in gratis dantes prædicationem Euangelij, quam gratis acceperant, ſuam auditores Euangelij profuſè promebant liberalitatem, vt in mendicos præclarè de ipſis meritos: *Mat.* 10. 1. *Cor.* 9.

QVÆSTIO XXX.

An hæretici incorrigibiles ſint plectendi?

XLV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS cum Donatiſtis & Huſsio, negat. Vide in *Luthero c.p.* 2. *q.* 73. *& Genea.p.* 2. *q.* 16.

CHRISTVS. Ego talibus hæreticos comparaui quæ ſunt ferro flammisque perſequenda. Mat. 7. *Attendite à falſis prophetis. &c. intrinſecus ſunt LVPI rapaces.* Sic & Apoſtolus Act. 20. *Poſt diſceſſum meum intrabunt lupi rapaces.* Ioan. 10. *Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde; ille fur eſt, & latro:* At hi tales morte mulctandi ſunt: & verè S. Patres per tales intellexerũt hæreticos.

2. Et Ipſe ego, *Ioan.* 2. nunquid flagello facto expuli profanatores templi?

3. Non Petrus, *Act.* 5. mentitos Spiritui S. Ananiam ac Saphiram ſpiritu oris ſui occidit? Non Paulus Elymam, *Act.* 13. ſeductorem proconſulis cæcitate percuſſit?

4. Quò iuſtius. *Deut.* 13. *&* 18. falſi prophetæ iubentur occidi. Deu. 17. *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio; ex ſententia Iudicis moriatur.* Sicque vſitarunt Helias, Ioſias, Iehu. &c. 3. Reg. 18. 4. Reg. 10. & 23. Iuſtum Nabuchodonoſoris edictum eſt, *Dan.* 3. vt, qui blaſphemaret Deum Danielis, interficeretur & domus eius deuaſtaretur.

Quocirca cùm Eccleſia inobedientes debeat reijcere, vt ethnicos, & gladio ſæculari relictos; certum eſt, quod Magiſtratus ſæcularis, Rom. 13. *non ſine cauſa gladium portat: miniſter enim Dei eſt, vindex in iram.*

ANTICHRISTI ECCLESIOMACHIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN